

immerito autem primo loco nominabimus, quo non major profecto unquam extitit aut existere potuit, solennem istum ἀποθεώσεως cultum, quem illustrioribus genere & meritis Heroinis, Heroum exemplo, senatus auctoritate decernebat antiquitas. Quanquam vero optandum esset, ut memorata Διογέωσις cultus semper, ceu ab initio erat, mansisset politicus; Hanc enim Διογέωσιν dudum Deus ipse in Imperantes, quia DII sunt, transtulit a): Successu tamen temporis tanta incremen- ta sumisit, ut in Religionem abierit. Sic Lampsacæ Græcos unicam tantum initio statuam, postea vero altaria sacræ, perinde ac Arcades primum Arcadem suum in Stellam, deinde vero Aristæum in Jovem mutatum credidisse legimus b). Gravem hac de re querelam lege apud Lohensteinum c).

§. VII. Licet autem omnes consecrationis ritus Heroinis cum Heroibus fere communes erant: Illud tamen discriminis inter Heroum atque Heroinarum consecrationes intercessisse Auctores observant: aquilam Heroes, Pavonem Heroinas ad astra & rogo evexisse. Hinc quanquam Vaillantius d) Vir in re nummaria perquam industrius, aquilam tantum pro æternitatis symbolo in Augustarum consecrationes transumtam judicet: Aquilas tamen Pavonum loco nonnullarum consecrationibus adhibitas, cœterum vero pavonem Augustabus ad unam omnibus a consecrantibus datum fuisse ex numinorum testimoniis non immerito suspicatur Excell. Noster. J. B. Menckenius. e) Interim cum prolixè satis Juliæ, Liviæ, Augustæ, Faustinæ, Neronis uxoris & filiæ, Vitelli Matris aliarumque Augustarum consecrationes ex Livio, Floro & cœteris antiquæ Historiæ conditoribus Spanhemius f) aliique plures exposuerint; non opus esse arbitramur, ut iis enarrandis longius immoremur.

§. VIII. Majore est earum numerus, quas per Dearum nuncupationem, ararum & templorum consecrationem, ac festorum annuorū institutionem, quodam Διογέωσεως genere coluit antiquitas. Licet

B

enim

- a) Exod. XXII. 28. b) Dn. a Lohenst. T. I. L. IV. p. 360. c) l. c. L. IV. p. 342. d) Num. Imp. Rom. Part. II. Edit. Nov. p. 161. e) Dissert. de Augustorum Augustarumq; consecratione ex numinis illustrata A. 1694. f) de Iusu & Praest. Num. passim. conf. & Excell. Menckenius l. c